



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

X. Voluntatis æquilibrium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)



30 BONA VOLUNTAS

Humirèpam gloriolam, & ad ima vergentem. Augustinus libro Conf. i. cap. 9. confert ludis puerilibus, ob quos se vapulasse puerum narrat, ridente patre: *majorum nuga negotia vocantur, puerorum autem talia cum sint, puniuntur à majoribus, & nemo miseratur pueros, vel illos, vel utrosque.*

X. *Voluntas aquilibrium.* Isthæc, aliâque in eandem sententiam, passim experientiæ & cogitationi quotidianæ occurrentia, cum expenderis, facillimum tibi fuerit, immodicum erga res tam caducas & viles amorem præscindere. Quod si feceris, eâdem operâ voluntatem tuam ad æquilibrium reduxeris, & constitueris in statu indifferentiæ. *Amor enim tuus, pondus tuum.* Hoc pondere pressa bilanx vergit in eam partem, quò amor fertur. Præterea, cum bonorum temporalium amori modum adhibueris, simul malorum timorem immoderatum represseris. Neque enim mala nisi catenus formidantur, quatenus bonis amatis opposita sunt. Mortem nimium extimescis? Vitam scilicet immo-



immoderatè amas. Exhorres ad infamiæ, paupertatis, inimicitiarum imaginem? Quia videlicet famæ, opum, favoris nimium appetens es. Hecatonis illud, à Seneca celebratum, verissimum est: *Desines timere, cum sperare desieris, & concupiscere.*

XI. *Aliud ad illam subsidium indicatur.* Posset addi & aliud indifferentiæ comparandæ subsidium, ex malorum, quæcumque humanæ conditioni occurrere possunt, seriâ & forti præcogitatione, *Nisi, enim quidquid fieri potest pro futuro habes, das in te vires rebus adversis, quas infregit, qui prior vidit.* Quomodò aiunt, crocodilo adversus audacter occurrentes animum non esse, cum in fugientes ferocissimè incurrat. Hinc Christus sæpè discipulos de Passione sua præmonere solitus, ut venientem cò minùs horrerent, quò sæpiùs cogitassent venturam. Sed tum alii ea de præmeditatione multa dixerunt: tum nos etiam aliquid in Machabæorum gestis, ubi Eleazeri ultrò elephantem Regium incurrentis, & Jonathæ ad hostem lacef-